

- se viros doctos, nisi & ipse sit doctus. Deh! caveant super hoc Prælati.
- 139 \*Sacerdotes privantur facultate excipiendi confessiones complicum in peccato turpi. Benedic. XIV. tom. 1. constit. 20. *incip.* Sacramentum Pœnitentiæ, §. 4. Vide dicta ad verb. Confessarius, & verb. Complex.
- 140 Sacerdos etiam ad confessiones non approbatus, præferendus est Confessario complici in peccato turpi pro excipienda confessione ipsius complicis in articulo mortis constitutæ. Idem const. 120. *inc.* Apostolici muneris. §. 2.
- 141 Sacerdos simplex benedictionem super populum impertiri nequit, præterquam in fine missæ, nisi forte idi ipsi demandetur jure delegato. Idem tom. 2. constit. 48. *incip.* Exemplis. Præsentem Episcopo Diocesanæ sacerdos in fine missæ debet prius ad eum se convertere, eique caput inclinare, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod à Sacerdote præmittitur si Episcopus missæ intersit, sed extra suam diocesim existat, prout desumitur ex Rubricis missalis, de benedictione in fine Missæ, & Evangelio S. Joannis. Idem *ibid.*
- 142 Sacerdos abutens sacrificio missæ ad sortilegia, vel in sacramentali confessione sollicitans ad turpia, præter alias pœnas, incurrit perpetuam inhabilitatem ad missæ celebrationem, ex decreto sanctæ Universalis Inquisitionis de mandato Benedic. XIV. edito die 5. Augusti 1745. ut in ejus Bullario tom. 2. in appendic. n. 8. pag. 46.
- 143 Sacerdoti simpliciter per Pontificem ex suprema auctoritate delegari possunt ea, quæ ad mysticum Christi Corpus pertinent; Quod tamen Diaconis, qui non habent perficere Corpus Domini verum, jure, ac merito denegatur. Benedic. XIV. in Appendice ad tom. 4. sui Bullarii const. *inc.* Ex tuis, §. 9.
- 144 Sacerdotes tam in Latina, quam in Græcæ Ecclesia, juxta veterem disciplinam, cum Episcopo celebrabant. Benedic. XIV. *const.* Allatæ sunt, §. 38.
- 145 Sacerdotes exteri, tum & maxime peregrini non sunt admittendi ad missas celebrandas, & sacramenta administranda, sine literis commendatitiis suorum Ordinariorum, ut innovatis antiquis canonibus statuit Concilium Trident. sess. 22. *decret. de observ. & evitand. Ec. & sess. 23. cap. 16. de Reform. & post ipsum D. Carolus Borromæus in Ali. Eccles. Mediol. part. 1. Concil. Provincial. 1. pag. 9. Concil. Provincial. 2. pag. 65. tit. 2. decret. 1. & Conc. Provincial. 3. pag. 96.*
- 146 Quinimo fas est Episcopo prohibere, ne Regulares in eorum ecclesiis sacerdotes externos celebrare permittant divina officia, nisi prius ab ipso Episcopo, visis literis commendatitiis, admissi fuerint, ut decisum referunt Ventrig. in *Prat. tit. 1. adnot. 24. §. unic. num. 5. & adnot. 48. §. unic. num. 125. Passerini. de Stat. Homin. tit. 3. quest. 189. art. 10. inspect. 10. num. 991. Nicol. lucubrat. canonic. lib. 3. tit. 31. n. 15. Frass. de Jurepatron. Reg. tom. 2. cap. 73. num. 36.*
- 147 Idque verum adeo est, ut Sacerdotes exteri celebrantes in ecclesiis Regularium, non visis prius literis commendatitiis ab Episcopo, tum etiam ipsi Superiores ecclesiarum Regular. incurrant in pœnas in synodo diocesanâ inflictas; Firmos in Rubric. de Cleric. Peregrin. num. 9. Romaguer. ad *Synodal. Gerund. lib. 3. tit. 4. cap. unic. num. 5.*
- 148 Ceterum si Sacerdos aliquis exterus per longum tempus in loco aliquo celebraverit, ejusque mores jam sint noti, non est cogendus literas commendatitiis sui Ordinarii ostendere, ut altera Resolutione Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium negotiis præpositæ, firmant Firmosin. in *dict. Rubric. de Cleric. Peregrin. num. 11. Barbos. Jure ecclesiast. univers. lib. 1. cap. 11. num. 31. Romaguer. ad constitut. synodal. Gerund. lib. 1. tit. 4. cap. unic. num. 6. ubi num. 7. & sequent. tradit quas solemnitates requirant literæ commendatitiæ Clericorum ultramarinarum.*

Reliquum est ut discutatur, an Episcopus prohibere valeat, ne Sacerdotes Regulares peregrini, celebrent in ecclesiis Regularium? Obtinuit autem hæc distinctio, ut prohibere nequeat, si Sacerdotes illi peregrini in loco illo habeant ecclesias sui Ordinis; possit vero prohibere, si ecclesias inibi sui Ordinis minime habeant; Ita definisse Sac. Congregationem de Propaganda Fide coram Sanctissimo habitam die 18. Juli 1626. refert Romaguer. *ad constitut. Synodal. Gerund. lib. 1. tit. 4. cap. unic. num. 4. (Vide verb. Clericus.)*

SACRAMENTALIA. Vide Peccatum à num. 47. ad num. 55.

## SACRAMENTUM.

## ARTICULUS PRIMUS.

Quoad ea, quæ concernunt Sacramentorum naturam, institutionem, numerum, materiam, formam, Ministrum, & intentionem.

## SUMMARIUM.

- 1 SACRAMENTI à Sacro derivati, variæ, sed præcipue tres sunt acceptiones, quæ assignantur.
- 2 Sacramentum prout in proposito accipitur, & definitur.
- 3 Sacramenta novæ legis fuerunt omnia à Christo Domino instituta, & ea nec plura, nec pauciora, quam septem quæ assignantur.
- 4 Sacramenta novæ legis differunt à Sacramentis antiquæ Legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem; Nova vero eam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt.
- 5 Unde Sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt aliæ ceremoniæ, & alii ritus æterni.
- 6 Ea, quæ concernunt ad longum Sacramenta antiquæ legis, breviter gratia relinquantur videnda apud scholasticos.
- 7 Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se.
- 8 Quædam dicuntur, & sunt Sacramenta Mortuorum & quedam alia Sacramenta Vivorum, & quæ sint utraque.
- 9 Item quedam sunt Iterabilia, & non Characteristica, & quedam Initerabilia, & Characteristica, & quæ sint utraque.
- 10 Item quedam sunt Formata, & quedam Informia, quæ sint utraque.
- 11 Non potest dari sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, & informe quoad effectum Gratia.
- 12 Item quedam sunt Permanentia, & quedam transeuntia, & quæ sint utraque.
- 13 Item quedam sunt omnibus necessaria, & quedam non necessaria omnibus, & quæ sint utraque.
- 14 Sacramenta novæ legis sunt necessaria ad salutem, vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus.
- 15 Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius.
- 16 Sacramenta non sunt sola signa, seu nota christianitatis.
- 17 Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam.
- 18 Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet, rebus, verbis, & Ministro cum intentione.
- 19 Hinc ad essentiam cujuslibet sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, & forma, & intentio.

Ma-

- 20 Materia in quolibet sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam Ministri.
- 21 Forma in quolibet sacramento sunt verba certa una cum applicatione materie, proferenda à Ministro, aut signum aliquod externum æquivalens, & faciens id, quod facerent verba.
- 22 Materia in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota & proxima, & quæ sit utraque.
- 23 Quenam sit materia remota, & proxima cujuslibet specialis sacramenti remissive.
- 24 Item forma in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota, & proxima, & quæ sit utraque.
- 25 Ad valorem sacramentorum quoniam requiratur similitudo inter eorum materiam & formam.
- 26 Consultissimum est, ut Ministri sacramentorum curent majorem, quam possunt, facere similitudinem materie, & forme.
- 27 Materia, & forma sacramentorum fuerunt omnes à Christo institutæ, & determinatæ quoad substantiam: At non omnes, & singule uniformiter, & æqualiter in particulari, & in specie, ad num. 28.
- 29 Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum irritat, & invalidat Sacramentum: Secus autem si sit solum mutatio accidentalis.
- 30 Mutatio materie, & forme quando censeatur substantialis vel accidentalis.
- 31 Quoad materiam, & formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, eorumque mutationem substantialem, vel accidentalem, remissive.
- 32 Quomodo Ministri sacramentorum mali sint, Sacramenta non cessant esse bona.
- 33 Sacramenta valide fiunt etiam à malis ministris in peccato mortali existentibus.
- 34 Sacramenta ministrata à malis Ministris, iis nocent, non autem sunt inutilia.
- 35 Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus christianis.
- 36 Sacramenta fieri non possunt, nisi à Ministro habente intentionem faciendi, quod facit ecclesia.
- 37 Quoad plurima alia, quæ concernunt Ministrum Sacramentorum, remissive.
- 38 Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valide conficienda seu ministranda, vel recipienda Sacramenta, remissive.
- 39 Subnectuntur additiones, usque in fin.

SACRAMENTI à Sacro derivati variæ, sed præcipue tres sunt acceptiones. Primò igitur in Sacra Scriptura sumitur interdum pro sacro mysterio, seu pro re sacra abscondita, & arcana, ut Thobiz cap. 12. numer. 7. ibi: *Æternum Sacramentum Regis abscondere bonum est, Sapientiæ cap. 2. num. 22. ibi: Et nescierunt Sacramenta Dei. Item Sapientiæ cap. 6. n. 24. ibi: Et non abscondam à vobis Sacramenta Dei. Daniel. cap. 2. num. 18. ibi: Super Sacramento isto. Ibidem numer. 30. Sacramentum hoc revelatum est. Ibidem numer. 47. Quoniam ut potuisti aperire hoc sacramentum. Ad Ephes. cap. 1. num. 9. ibi: Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue. Item ad Ephes. cap. 3. num. 3. ibi: Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum. Apocalypsi cap. 1. numer. 20. ibi: Sacramentum septem stellarum. Item Apocalypsi cap. 17. numer. 7. ibi: Ego dicam tibi Sacramentum mulieris. Secundò, sumitur, eo quod per illud sacrum quando pro Juramento, eo quod per illud sacrum Dei nomen invocetur; L. Sacramenta puberum. Cod. Si adæveris venditionem, ibi: Sacramenta puberum sponte facta super contradição rerum suarum non retrahendis inviolabiliter custodiantur, cap. Qui Sacramento 11. caus. 22. quest. 4. ibi: "Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à Communionem Corporis, & Sanguinis Domini segregatus reatum*

FERRAR. BIBLIOT. TOM. VIII.

» suum elemosynis, & quantis potuerit jejuniis, absolvat." Tertio, sumitur à Patribus, & Theologis, & magis ad propositum pro signo rei sacræ, id est, pro eo, quod sacrat, & sanctificat: Et de sacramento sic sumpto impræsentiarum est sermo.

Unde sacramentum, prout in proposito accipitur, est signum sensibile gratiæ Dei, vel effectum ejus gratitutum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Sic Scotus in *a. dist. 1. quest. 2. num. 9.* Quæ definitio in re ipsa convenit cum illa, quæ colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. quod nempe *Sacramentum sit symbolum rei sacræ & invisibilis gratiæ formæ visibilis sanctificandi vim habens, & cum illa Cathecismi ejusdem Concilii, scilicet: Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ tum significanda, tum efficienda vim habet; & cum illa tradita à Canisio in suo parvo Cathecismo, quam sequuntur alii Theologi: Sacramentum novæ legis est signum visibile invisibilis gratiæ ad hominem sanctificandum divinitus institutum.*

Sacramenta novæ Legis fuerunt omnia à Christo Domino instituta, & ea nec plura, nec pauciora, quam septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Sic definitum fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, & in Concilio Trident. sess. 7. Canon. 1. ibi: "Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quam septem, videlicet, Baptismus, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquid horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit."

Sacramenta novæ legis differunt à sacramentis antiquæ legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem: Nova vero eam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Concil. Florentin. sess. ult. in Decreto Eugenii IV. ibi: "Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis: Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt." Unde sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt aliæ ceremoniæ, & alii ritus externi: Est definitum in Concilio Trident. sess. 7. Canon. 2. ibi: "Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit." Vide tamen dicta sub verb. Circumcisio per tot. ubi multa ad rem.

Ea autem, quæ concernunt, ad longum sacramenta antiquæ legis, breviter gratia relinquantur videnda apud Scholasticos.

Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se. Communis. Quædam enim dicuntur sacramenta mortuorum, & quedam alia sacramenta vivorum. Sacramenta mortuorum sunt illa, quæ per se conferunt primam gratiam justificantem, seu remissionem peccati mortalis actualis, vel originalis, & dicuntur sacramenta mortuorum, quia à Christo sunt per se, & primario instituta, ut homini ratione peccati mortalis spiritualiter mortuo gratiæ, rite ministrata restituant vitam spirituales gratiæ: Et hæc sacramenta sunt duo, nempe Baptismus & Pœnitentia. Baptismus quidem institutus in remissionem peccati originalis ac etiam actualium ante Baptismum commissorum. Pœnitentia autem instituta in remissionem peccatorum actualium post Baptismum commissorum. Sacramenta vivorum sunt illa, quæ per se conferunt tantum gratiam secundam, adeoque præsupponunt in suscipiente gratiam primam, seu statum gratiæ, & dicuntur sacramenta vivorum, quia à Christo sunt per se, & primario instituta, ut ministrarent hominibus jam viventibus vita spirituali gratiæ, eosque nova gratia adaugeant; & hæc Sacramenta sunt: reliqua alia quin-

Ee

que,



que, nempe *Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium Communis.*

9 Item ex Sacramentis novæ legis quedam sunt *iterabilia, & quedam interabilia.* Sacramenta *iterabilia, seu non Characteristica* sunt illa, quæ sæpius suscipi possunt, quia non imprimunt characterem indelebilem in anima suscipientis, sed solum conferunt gratiam sanctificantem per peccatum mortale amissibilem, & reiteratione Sacramenti recuperabilem; & talia sacramenta sunt quatuor, scilicet *Eucharistia, Penitentia, Extrema Unctio, & Matrimonium.* Sacramenta *interabilia, seu Characteristica* sunt illa, quæ semel suscepta iterato suscipi nequeunt, quia imprimunt characterem indelebilem in anima suscipientis; Et talia sacramenta sunt tria, nempe *Baptismus, Confirmatio, & Ordo.* Communis ex Concil. Florent. *sess. ult. in Decreto Eugenii IV.* ibi: "Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à ceteris distinctivum imprimunt in anima indelebile: Unde in eadem persona non reiterantur: Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt." Et Concil. Tridentin. *sess. 7. Can. 9.* ibi: "Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit."

10 Item quedam ex sacramentis sunt *Formata, & quedam Informia.* Sacramenta *Formata* sunt illa, quæ & valide, & licite, ac fructuose suscepta, statim, dum suscipiuntur, habent suum effectum in suscipiente, id est, statim causant gratiam, ad quam causandam suscipiuntur, quæ gratia per antonomasiam vocatur *Forma, Decor, & Pulchritudo anime, & qua proinde deficiente, manet anima informis, ac deformis in conspectu Dei.* Sacramenta *Informia* sunt illa, quæ quamvis valide suscipiantur, concurrentibus scilicet omnibus essentialiter requisitis ad valorem talium Sacramentorum, debita nempe materia, forma, & intentione; tamen non habent effectum suum, eo quod ponatur obex peccati mortalis gratiæ, alioquin per talia sacramenta causandæ, & sic sacramenta remanent informia, animamque informem relinquunt. Et talia possunt esse omnia sacramenta, excepto solo sacramento Penitentia. Nam docent communiter Doctores, posse hominem adultum valide baptizari, confirmari, Eucharistiam sumere, ordinari, extreme ungi, & Matrimonium contrahere in statu peccati mortalis, ac non licite, & sic sacrilege, adeoque infructuose, & informiter.

11 Dicitur autem notanter *excepto solo sacramento Penitentia,* quia non potest dari sacramentum Penitentia validum quoad essentialiam, & informe quoad effectum gratiæ, ut docuimus sub *verb. Penitentia Sacramentum, art. 2. à num. 16. ad 29.* Vide *ibi.*

12 Item quedam ex sacramentis sunt *permanencia, & quedam transeuntia.* Sacramenta *permanencia* sunt illa, quæ sunt sacramenta non tantum in fieri, seu cum fiunt, sed etiam sunt sacramenta in facto esse, seu sunt factum permanens, ut per omnes Catholicos est sacramentum Eucharistiæ; & secundum aliquos cum Sporer *tom. 3. theol. Sacrament. part. 4. num. 351.* etiam Matrimonium, de quo ibi dicit, quod quatenus præcise est signum prætium efficac gratiæ sanctificantis matrimonialis, est sacramentum in fieri; quatenus verò simul est Sacramentum mysticum, seu sacrum signum conjunctionis spiritualis Christi cum Ecclesia, aut Verbi Divini cum natura humana, est Sacramentum in facto esse, ac permanens. Sacramenta *transeuntia* sunt illa, quæ præcipue consistunt in actione, quæ physice transit, uti ablutio in Sacramento Baptismi, Unctio in Sacramento Extreme Unctionis, & hujusmodi.

13 Item quedam ex Sacramentis sunt *omnibus necessaria, & quedam non necessaria omnibus.* Sacramenta *omnibus necessaria* sunt Baptismus, qui est omnibus hominibus necessarius ad salutem, & Penitentia, quæ est necessaria omnibus, & solis in peccatum mortale

post Baptismum lapsis: Et hæc duo sacramenta in re, vel in voto sunt necessaria necessitate medi: In re ipsa autem Eucharistia est necessaria omnibus adultis necessitate præcepti. Sacramenta *non necessaria omnibus* sunt Ordo, & Matrimonium, ut de se patet, & Confirmatio, & Extrema Unctio, quæ duo sacramenta non sunt sub precepto saltem gravi necessaria, ut cum D. Thoma 3. *part. quest. 71. art. 8. ad 4.* tradunt Doctores communiter.

14 Quod sacramenta sint necessaria ad salutem vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus, habetur expresse definitum in Concil. Trident. *sess. 7. Canon. 4.* ibi: "Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto per solum fidem homines à Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit."

15 Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius, Concil. Tridentin. *cit. sess. 7. Canon. 3.* ibi: "Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit."

16 Sacramenta non sunt sola signa, seu notæ christianitatis; Concil. Tridentin. *cit. sess. 7. Canon. 6.* ibi: "Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem, non conferre, quasi signa tantum externa sint, accepta per fidem gratiæ, vel Justitiæ, & notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit."

17 Sacramenta non sunt instituta propter solum fidem nutriendam. Concil. Tridentin. *cit. sess. 7. Canon. 5.* ibi: "Si quis dixerit, hæc sacramenta propter solum fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit."

18 Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis, & Ministro cum intentione, rebus ut materia, verbis autem ut forma. Concil. Florentin. *sess. ult. in Decret. Eugenii IV. §. Quinto Ecclesiasticorum,* ibi: "Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum."

19 Hinc clare constat, quod ad essentialiam cujuslibet sacramenti tria necessaria requiruntur, scilicet materia, forma, & intentio. *Communis Catholicorum,* per citat. textum Concilii Florentini: Unde ex verbis Sancti Augustini relat. in *cap. Detrahe 54. caus. 1. quest. 1. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

20 Materia in quolibet sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam Ministri. *Communis.*

21 Forma in quolibet sacramento sunt verba certa una cum applicatione materiæ proferenda à Ministro: Aut signum aliquod externum æquivalens, & faciens id, quod faceret certa verba, uti sunt nutus annuuntis in Matrimonio, quibus nutibus æque bene ac verbis animus contrahentium declarat. *Communis.*

22 Materia in quolibet sacramento est duplex, scilicet, *remota, & proxima. Materia remota* est illa res sensibilis, quæ per actionem Ministri applicatur suscipienti. *Materia proxima* est ipsamet debita applicatio dictæ materiæ remotæ, quæ scilicet una cum forma sibi correspondente simul prolata à Ministro proxime constituit Sacramentum. *Communis.*

23 Quænam sit materia remota, & proxima cujuslibet, specialis sacramenti? Vide in suis propriis locis, ut sub *verb. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, &c.*

24 Item forma in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota, & proxima: *Forma remota* sunt dicta certa verba una cum applicatione materiæ à Ministro proferenda, seu aliud signum æquivalens externe exhibendum. *Forma proxima* est dictorum certorum verborum una cum applicatione materiæ actualis à Ministro facta prolatio, seu dicti signi externi æquivalentis actualis exhibitio. *Communis.*

Ad

25 Ad valorem sacramentorum requiritur similitudo inter eorum materiam, & formam, quæ similitudo sufficit, quod sit moralis, & tanta, quanta requiritur in actibus humanis: Nam cum sacramentum sit compositum morale, requiritur, & sufficit talis similitudo, sive unio inter materiam, & formam, ut unum moraliter, ac secundum commune hominum æstimationem censeatur afficere alterum, considerata, & attenta natura cujuslibet specialis Sacramenti. Sic Scotus in *4. dist. 6. quest. 3. lit. B.* Et in *re Communis aliorum.*

26 Consolunt tamen Doctores communiter, ut Ministri sacramentorum curent majorem, quam possunt, facere similitudinem materiæ, & formæ, quia cum materia, & forma debeant constituere unum signum sacramentale, semper optimum est eas meliori, quo potest, modo esse conjunctas. Unde consultissimum est, quod Ministri in Baptismo verè simul profertant formam totam, dum abluunt; in Confirmatione, & Extrema Unctione, dum inungunt: In Ordinatione, dum instrumentum Ordinis tradunt: In sacramento Penitentia statim absoluta confessione dolorosa, penitentiaque injuncta, & acceptata, verba absolutionis profertant: In Matrimonio post expressum consensum unius, statim exprimat & alterius sponsorem. In confessione verè Eucharistia materia debet esse præsens, quia hoc indicant illa pronominia demonstrativa: *Hoc, Hic.*

27 Materie, & formæ Sacramentorum fuerunt omnes à Christo instituta, & determinata quoad substantiam. At non omnes, & singulæ uniformiter & æqualiter in particulari & in specie. Prima pars conclusionis est *Communis omnium Theologorum.* Cum enim Christus instituerit immediate omnia sacramenta novæ legis, debuit etiam omnium eorum materias, & formas instituire & determinare quoad substantiam; aliàs si Apostoli, aut Ecclesia aliquas sacramentorum materias, aut formas determinassent quoad substantiam, Christus, non instituisset illa immediate, sed tantum mediantibus, hominibus materias, & formas determinantis.

28 Secunda pars conclusionis defenditur passim à Doctoribus cum Mastro in *4. disp. 4. num. 36. & 45. Suarez part. 3. tom. 3. disp. 1. sect. 3. Gonet de Sacrament. in man. tract. 2. cap. 2. & tract. 6. cap. 3. Gobat tom. 1. tract. 8. num. 55. Reiffenstuel theol. moral. tract. 14. dist. 1. quest. 1. num. 21. La Croix lib. 6. part. 1. num. 13.* Aliquæ enim materiæ, & formæ fuerunt à Christo instituta: solum in genere, determinanda in particulari, & in specie ab Apostolis, vel Ecclesia, quæ in particulari adhiberet res sensibiles, & verba apta ad exprimentandam significationem illam, ad quam exprimentandam fuerunt Sacramenta illa ab ipso Christo Domino instituta. Sic in aliquid in genere determinatum solum fuit à Christo aliquid in genere significativum potestatis, quæ confertur, relinquendo Ecclesie potestatem determinandi in particulari juxta exigentiam temporum, locorum, & personarum, materiam, & formam aptam ad significandam, & exprimentandam potestatem illam, quæ ordinatis confertur: Unde de facto patet ex praxi primitivæ Ecclesie, quæ ante scriptionem, & impressionem Evangeliorum, & Epistolarum non potuit, uti modo, tradere librum Evangeliorum, & Epistolarum: Item patet ex praxi Ecclesie Græcæ, & Latine, quarum quælibet valide conficit Sacramentum Ordinis, quamvis non conveniant in materia, & forma particulari quoad speciem, sed solum in genere, quatenus utraque Ecclesia utitur certa materia, & forma apta ad significandam, & exprimentandam potestatem, quæ ex intento Christi Domini traditur Ordinatis. Sic etiam in sacramento Penitentia determinata est solum in genere materia commissa, sive sunt peccata actualia post Baptismum commissa, sive sint mortalia, sive venialia, sive hujus, sive illius speciei, & etiam solum in genere determinata est materia proxima, nempe dolor communis contritionis, & attritionis. Et solum in genere determinata est ejus forma, dummodo concipiatur, & profertur verbis actum Judiciale sententiæ verè absolveris sufficienter exprimentibus. Ita etiam in Matrimonio determinatus est pro materia contractus in genere legitimus, quo tradatur mutuum Jus ad usum corporum, & pro forma determinatum est solum in genere signum externum, cum ejus forma possint esse verba, vel formalia, vel tantum æquipolentia, uti sunt scriptio, & nuptus, quæ inter se specie distinguuntur, & sic de aliis proportionate discurrendo. Unde clare constat, quod materiæ, & formæ Sacramentorum fuerunt omnes à Christo instituta, & determinata quoad substantiam; At non omnes, & singulæ uniformiter, & æqualiter in particulari, & in specie: Ad quod facit Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2.* ubi sic expresse habet: *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientibus utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi pro rerum, & locorum varietate magis expedire judicaret.*

29 Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum, irritat, & invalidat sacramentum: Secus autem si sit solum mutatio accidentalis. *Communissima omnium Theologorum,* qui ad hoc communiter tradunt has duas regulas: *I. Si mutatio materiæ, vel formæ sit substantialis, non fit sacramentum. II. Si mutatio materiæ, vel formæ sit tantum accidentalis, fit sacramentum.*

30 Mutatio autem tunc censetur substantialis, quando juxta commune usum, & existimationem Prudentum non manet amplius eadem res in nomine, & substantia cum illa, quam Christus instituit, & determinavit pro materia sacramenti: Seu loquendo de forma, quando non manet amplius in verbis idem sensus per verba intentus à Christo; Tunc verò censetur solum mutatio accidentalis in materia, quando juxta commune usum & existimationem prudentum res adhuc remanet eadem in substantia: Et tunc censetur solum mutatio accidentalis in forma, quando remanet adhuc in verbis idem sensus per verba intentus à Christo. Sic Doctores communiter.

31 Quoad materiam, & formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, earumque mutationem substantialem, vel accidentalem; vide in suis propriis locis, & signanter sub *verb. Baptismus, &c.*

32 Quamvis Ministri sacramentorum mali sint, Sacramenta non cessant esse bona; *cap. Si justus 30. cap. Ex Catholica 31. cap. Si autem 32. cap. Non foris 33. capit. Nonne Sodomitæ 37. cap. Dominus declaravit 87. cap. Christus 88. & cap. Non nocet 89. caus. 1. quest. 1.*

33 Sacramenta enim valide fiunt etiam à malis Ministris in peccato mortali existentibus. Concil. Trident. *sess. 7. Canon. 12.* ibi: *Si quis dixerit, Ministri in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut non conferre Sacramentum, anathema sit.*

34 Unde sacramenta ministrata, à malis Ministris eis nocent, non autem sumentibus; *cap. Omnia Sacramenta 78. cap. Christus 88. & cap. Non nocent 89. caus. 1. quest. 1.* cum similibus.

35 Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus christianis Concil. Tridentin. *sess. 7. Canon. 10.* ibi: *Si quis dixerit, christianos omnes in verbo, & omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.*

36 Sacramenta fieri non possunt nisi à Ministro habente intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Concil. Tridentin. *cit. sess. 7. Canon. 11.* ibi: *Si quis dixerit, in Ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

37 Quoad plurima alia, quæ concernunt Ministerium Sacramentorum, vide *verb. Minister sacrament. per tot. à num. 1. ad num. 54.*

38 Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valide conficienda, seu ministranda, vel recipienda

Et 2

da



da Sacramenta: Vid. verb. Intentio à num. 14. ad n. 43. & à num. 57. ad 61.

Sententia asserens in sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi quidquid facit Ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab Episcopis configenda est. De synodo diocæsana, lib. 7. cap. 4. §. 9.

Verùm contraria tutior, & omnino servanda in praxi. Quare si quid ejusmodi contigerit, & necessitas urgeat, sacramentum Baptismi sic collarum, sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiat, consulenda est Sedes Apostolica, ibid.

39 - Questiones, quas circa materiam, & formam sacramentorum movent scholastici, & inter hos Auditor. præcipue sub seculo XII. aut XIII. exortæ sunt. Ab eo enim tempore sacramenta per materias & formas explicari cœperunt. Et primus Scholasticorum (ut inquit Morin. de St. Ordin. p. 3. exercit. 1. cap. 3. num. 6.) quem legi, qui hanc sacramenta explicandi methodum amplexus est, & docuit, est Guglielmus Antisiodorensis, qui scribebat paulo post annum 1215. Adiditque numer. 10. ante hæc tempora Theologos totam hanc sacramentorum materiam explicasse: "Per verba signi, & rei sacræ, seu invisibilis, dicentes sacramentum constare signo & re sacræ, seu invisibili. Per signum intelligebant, quod postea per materiam significat, & re sacra, seu invisibili, quod per formam, quidquid scilicet sensibus percipitur. Per rem sacram, seu invisibilem effectum sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud antiquos frequentissimus explicandi modus. Unde illa definitio, sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma. Formam vocant speciem, quæ sensibus percipitur."

40 - Et philosophia verò peripatetica nata est ratio hæc explicandi sacramenta per materiam & formam. Ea enim rerum natura sub nominibus hisce materiz, & formæ inquirere & examinare solebat. Hac igitur philosophia, quæ jam seculo XII. radices agere cœperat, imbuti Theologi, eandem philosophandi rationem in theologiam, atque potissimum in sacramentorum doctrinam introduxerunt, ut recte observavit Morinus loco cit. num. 3. ubi quod potissima cura fuit definire, quæ fuerint sacramentorum materia, quæ forma, & sub horum nominum insigniis principales de sacramentis questiones efformare, & protendere.

41 - De questionibus hisce circa sacramenta in generali, tum singula in particulari, qui instrui cupit, adeat scholasticos, qui integros de sacramentis tractatus ediderunt. Meo verò judicio recte Vanespen, omissis digis questionibus, quæ nec ad externam sacramenta administrandi rationem, neque ad canonicam disciplinam spectant, id sibi proposuit, ut circa sacramenta proponeret & discerneret disciplinam, quam sacri canones, synodalia decreta, & Ritualia in eorum administratione servandam præscriperunt. Consule igitur ipsum, ubi res postulat part. 2. juris ecclæs. univers. 1. ad plurim. sequentes. Confer etiam eruditæ pro more commentaria Clarissimi Viri, & nunquam satis pro merito commendati Josephi Catalani in Rituale Romanum. (Vide circa præcedentia, quæ suis respectivis locis dum de singulis tractatur sacramentis, ibique fere omnia invenies.)

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt sacramentorum effectus.

SUMMARIUM.

- 1 Effectus sacramentorum novæ legis est duplex, scilicet unus generalis omnium, & alter particularis aliquorum.
- 2 Effectus generalis omnium sacramentorum est gratia sanctificans.

3 Omnia sacramenta novæ legis sine obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam digne summentibus.

4 Effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius est character.

5 Sola tria sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem.

6 Quoad ea, quæ concernunt gratiam generatim, & gratiam sanctificantem, remissive.

7 Præter gratiam sanctificantem habituales per quodlibet sacramentum digne susceptum conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales gratiæ actuales opportune ad consequendos proprios fines singulorum sacramentorum.

8 Sacramenta novæ legis causant gratiam sanctificantem ex opere operato, & non ex opere operantis tantum.

9 Quid sit causare gratiam ex opere operato, & ex opere operantis? & quare sic dicatur.

10 Sacramenta mortuorum per se, ac ex vi sue primariæ institutionis conferunt primam gratiam sanctificantem; Per accedens autem quandoque secundam.

11 Affertur ratio prioris partis.

12 Affertur ratio secundæ partis.

13 Sacramenta vivorum per se, ac ex vi sue primariæ institutionis, conferunt gratiam secundam; per accedens autem quandoque primam.

14 Adducitur ratio primæ partis.

15 Adducitur ratio secundæ partis.

16 Quenam autem sint sacramenta mortuorum, & vivorum, & cur ita dicantur remissive.

17 Quenam autem sit prima, & secunda gratia, & cur ita dicatur remissive.

18 Sacramenta specie distincta non conferunt omnia æqualem gratiam, sed digniora, & perfectiora sacramenta majorem, ac perfectiorem gratiam conferunt.

19 Sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta per se, & de lege ordinariæ semper æqualem conferunt gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis, in æqualem autem gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis.

20 Assignatur ratio primæ partis.

21 Quamvis tamen sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta, per se, & de lege ordinariæ semper æqualem conferunt gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis, ut propterea ad augmentum, vel detrimentum gratiæ nihil conferat sanctitas, & improbitas Ministris: Per accedens tamen potest conferre Ministris probitas, seu sanctitas, ad numer. 22.

22 Assignatur ratio secundæ partis, quod scilicet sacramenta solo numero distincta inæqualem conferunt gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis.

23 Ad recipienda fructuose sacramenta mortuorum requiritur in adultis in lethali existentibus contritio, vel saltem attritio.

24 Ad recipienda rite, & fructuose sacramenta vivorum requiritur per se loquendo status gratiæ.

25 Immo ad digne, & fructuose recipiendum sacramentum Eucharistiæ requiritur, ut scienter existens in peccato mortali præmissis de ipso Sacramentalem Confessionem, nec sufficit contritio.

26 Sublata, seu recedente fisione suscipientis, revoiscit Baptismus fisione susceptus.

27 Etiam alia duo sacramenta imprimunt characterem, si fisione recepta sint, recedente postea, fisione revoiscunt.

28 Estiam Extrema Unctio, & Matrimonium probabiliter revoiscunt recedente fisione.

29 Penitentia autem probabiliter non revoiscit recedente fisione.

30 Eucharistia verò probabiliter revoiscit recedente obice, si obex removeatur, antequam consumpta sint species; Secus tamen si obex removeatur solum, post-

postquam jam totaliter consumpta sunt species, & Christus jam desit esse præsens.

31 Sacramenta non causant gratiam physicæ, sed moraliter.

32 Character sacramentalis, qui est effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius, imprimitur solum in tribus Sacramentis, scilicet Baptismo, Confirmatione, & Ordine.

33 Cur sola dicta tria sacramenta, & non alia quatuor imprimant characterem.

34 Character definitur.

35 Character non est pura relatio rationis, aut denominationis extrinseca.

36 Character neque est relatio realis, sed entitatis absoluta.

37 Character sacramentalis non subiectatur in anima sub ratione formali.

38 Sed subiectatur in anima sub ratione formalis voluntatis.

39 Character sacramentalis de potentia Dei ordinariæ est indelebilis tum in hac, tum in alia vita.

40 Potest tamen deleri de potentia Dei absolutam in hac vita, quam in altera vita.

41 Subnectuntur supplementa Auditoris, ad num. 52.

42 Additiones ex aliena manu, ad num. 66.

1 EFFECTUS sacramentorum novæ legis est duplex, scilicet unus generalis omnium, & alter particularis aliquorum. Communis.

2 Effectus generalis omnium sacramentorum est gratia sanctificans. Communis.

3 Omnia enim sacramenta novæ legis sine obice suscepta conferunt ex opere operato gratiam digne summentibus; Communis inter Catholicos, & sic expresse habetur ex Concil. Florent. sess. ult. in Decr. Eucharistiæ, Penitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt; & novissimè sic est definitum in Concil. Trident. sess. 7. Canon. 6. ubi: "Si quis dixerit sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre..... anathema sit: & Canon. 7. ubi: Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus, anathema sit."

4 Effectus particularis aliquorum sacramentorum proprius est character. Communis. Sola enim tria sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem. Communis inter Catholicos, & habetur ex Conc. Florent. l. c. ubi: "Inter hæc sacramenta sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à ceteris distinctivum imprimunt in animis indelebile; Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt; & reiterationem admittunt." Et ex Concil. Trident. cit. sess. 7. Canon. 6. ubi: "Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit."

5 Quoad ea, quæ concernunt gratiam generatim, & gratiam sanctificantem, Vide verb. Gratia, ut est donum Dei, per 101.

6 Præter gratiam sanctificantem habituales per quodlibet sacramentum digne susceptum conferuntur hominibus digne suscipientibus etiam aliæ speciales gratiæ actuales opportune ad consequendos proprios fines singulorum sacramentorum. Communis omnium Conciliorum, Patrum, & Doctorum sic intelligentium, & significantium, quando dicunt quodlibet sacramentum conferre etiam specialem sibi propriam. Et ratio

clara est, quia cum singula Sacramenta sint à Deo instituta, ob speciales suos fines, oportet etiam, ut conferant speciales gratias actuales, quibus ea digne suscipientes juventur ad fines illos consequendos.

Sacramenta novæ legis causant gratiam sanctificantem ex opere operato, & non ex opere operantis tantum; est de Fide ex Concil. Trident. sess. 7. Canon. 6. ubi: "Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non conferre gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre..... anathema sit; & Canon. 8. ubi: Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum Fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit." Vide infra numer. 21. & 22.

Sacramenta autem causare gratiam ex opere operato est conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis exhibitæ suscipienti, consideratæ scilicet secundum dignitatem, & efficaciam, quam habet ex institutione facta à Christo sine ullo respectu, vel dependentia ad meritum, vel dignitatem illius, qui eam actionem exercet. Et dicitur ex opere operato, quia ob infallibilem promissionem divinam ea gratia confertur ex meritis Christi, ac virtute passionis suæ, quæ jam sunt opus operatum. E contra causare gratiam ex opere operantis est solum ratione meriti, & dispositionis illius, qui talem actionem exercet, conferre gratiam; & dicitur ex opere operantis, quia ea gratia confertur propter propria merita, devotionem, & actusque virtuosos ipsius hominis operantis, sive ut Ministri, sive ut suscipientes. Sic Doctores communiter. Vide infra num. 21. & 22.

Sacramenta mortuorum per se, ac ex vi sue primariæ institutionis, conferunt primam gratiam sanctificantem; Per accedens autem quandoque secundam. Communis.

Et ratio primæ partis est clara, quia sacramenta mortuorum per se, ac ex primaria sua institutione instituta sunt à Christo Domino ad spiritualiter mortuos spiritualiter vivificandos; atqui si non conferrent per se, ac ex primaria sua institutione primam gratiam, non essent instituta ad vivificandos spiritualiter mortuos, sed ad nutriendum, & corroborandum viventes in vita spirituali, ergo &c.

Ratio item secundæ partis est clara, quia omnia sacramenta rite, & digne recepta nunquam carent suo effectu, qui est gratia; ergo si sacramenta mortuorum rite ministrarentur homini jam constituto in gratia per contritionem perfectam, ne suo careant effectu, debent conferre gratiam, non primam, ut patet, cum ipse recipiens sit jam in gratia constitutus per contritionem perfectam, ut supponitur, ergo per accedens secundam, seu augmentum gratiæ primæ.

Sacramenta vivorum per se, ac ex vi sue primariæ institutionis conferunt gratiam secundam. Per accedens autem quandoque primam. Communis.

Et ratio primæ partis est de se clara, quia sacramenta vivorum sic appellantur, eo quod ministrari debeant solum vivis membris Christi per jam sibi inexistentem gratiam primam sanctificantem; ergo cum non possint conferre gratiam primam, quæ jam inesse supponitur, ne careant suo effectu, debent conferre gratiam secundam, seu augmentum primæ.

Ratio item secundæ partis est de se clara, quia juxta Concilium Tridentinum sess. 7. Canon. 6. & 7. per text. citat. supra num. 3. omnia sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem; atqui dum quis se bona fide existimat in statu gratiæ, cum tamen revera habeat occultum mortale peccatum, cuius non recedat, seu ex malitia Confessari non sit absolutus à peccato mortali, ut ipse bona fide credit, & cum sola attritione recipit aliquid Sacramentum vivorum, nullum ex se ponit obicem; ergo tunc ipse vitalis sacramenti recipit gratiam, non secundam, cum nulla potior in illo fuerit, nec attritio de se conferat gratiam; ergo recipit primam per accedens causatam à Sacramento vivorum recepto; Sic probabiliter alii.

Quamnam autem sint sacramenta mortuorum, & 16



vivorum, & cur ita dicantur? Vide *art. antec. num. 8.*  
 17 Quam autem sit prima, & secunda gratia, & cur ita dicatur? Vide *verb. Gratia num. 5.*  
 18 Sacramenta specie distincta, ut *Baptismus, Confirmatio, Eucharistia*, &c. non conferunt omnia æqualem gratiam, sed digniora, & perfectiora sacramenta majorem, ac perfectiorem gratiam conferunt *Communio*, & colligitur ex Concil. Trident. *sess. 7. Canon. 4. ibi: Si quis dixerit, hæc septem sacramenta inter se ita esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit*; ubi ut vides, definit Concilium aliud sacramentum esse alio dignius; Dignior autem, & perfectior causa digniorem, & perfectiorem producit effectum, adeoque &c. & consequenter sacramentum Eucharistia, quia omnibus aliis dignius, & perfectius est, cum sit sacramentum permanentis, in se realiter Christum continens, ceteris paribus majorem, & perfectiorem, quam alia sacramenta, confert gratiam.  
 19 Sacramenta ejusdem specie solo numero distincta, ut plures Baptismi, plures Confirmationes, &c. per se, & de lege ordinaria semper æqualem conferunt gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis: Inæqualem autem gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis. *Communio.*  
 20 Et ratio primæ partis est de se clara, quia ex Tridentino *sess. 7. Canon. 6.* per text. cit. *suprà num. 8.* Sacramenta secluso obice conferunt gratiam, quam significant, sed duo Baptismi *verb. grat.* per se eandem omnino gratiam significant; ergo per se eandem, & æqualem gratiam conferunt, ubi æqualis est dispositio recipientis; tunc enim sacramenta operantur ut cause naturales: In naturalibus autem ab eadem causa circa passum æqualiter dispositum semper producit idem, seu æqualis effectus: Unde omnes parvuli in Baptismo per se, & de lege ordinaria semper accipiunt æqualem gratiam, cum eorum omnium æqualis, vel potius nulla sit dispositio, cum careant usu rationis.  
 21 Dicitur autem notanter *Per se, & de lege ordinaria*, quia ut inquit Scotus in *4. quest. 7. num. 3. posset Deus..... conferre majorem illi, quem prædestinavit ad majorem gloriam, sed ille uberior gradus non conferretur virtute Baptismi, sed de speciali benevolentia divina*; Et ubi dicit S. Thomas *quæst. 64. art. 1. ad 2. Aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti sacramentum per devotionem Ministri. Cui conformis est Scotus loc. cit. num. 5. ibi: Propter quorum, id est, Parentum, aut Ministrorum, merita Deus uni parvulo potest conferre majorem gratiam, quam alteri. Ex quibus patet, quod licet sacramenta ejusdem speciei solo numero distincta per se, & de lege ordinaria semper æqualem conferant gratiam, ubi æqualis est dispositio recipientis, ut propterea ad augmentum, vel detrimentum gratiæ sacramentalis per se nihil conferat sanctitas, & textibus citatis articulo antecedenti sub n. 52.  
 22 53. & 54. Per accidens tamen potest conferre Ministri probitas, seu sanctitas, videlicet, suis meritis, præcibus, vel industriis impetret suscepturo sacramentum gratiam efficacem ad ferventiorum dispositionem, ratione cujus major conferretur gratia, *arg. cap. Ipsi sacerdotes 91. caus. 1. quest. 1. cum similibus.*  
 23 Ratio secundæ partis conclusionis, quod scilicet sacramenta solo numero distincta inæqualem conferant gratiam, ubi inæqualis est dispositio recipientis, est etiam de se clara, quia sicut cause omnes naturales perfectius agunt in subiecto magis, seu melius disposito; ita etiam sacramenta, quæ operantur ut cause naturales, perfectiorem, & majorem conferunt gratiam, ubi magis seu melius erit recipiens dispositus: Unde Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7.* loquens de justificatione adultorum per Baptismum, docet, baptizatis conferri gratiam juxta mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, *Et secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem.* Et S. Thom. *q. 69. art. 8.* dicit: *Quidam cum majori, quidam minori devotione accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt**

Et cum ipso concordat Scotus in *4. dist. 4. quest. 7. n. 5.*  
 Ad recipienda fructuose sacramenta mortuorum, scilicet Baptismum; & Penitentiam requiritur in adultis in lethali existentibus contritio, vel saltem attritio; *Communio*; & desumitur ex Conc. Trid. *sess. 14. cap. 5.* ubi sic expresse habetur: "Docet præterea, etsi contritionem hæc aliquando charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliatæ, priusquam hoc sacramentum (Penitentia) actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam: Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communitur concipitur, si voluntatem peccati excludat cum spe veniæ, declarat, donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus; non adhuc quidem inhabilitans, sed tantum movens; quo penitens adjuvus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Penitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentia impetrandam disponit."  
 Ad recipienda rite, & fructuose sacramenta vivorum, scilicet Confirmationem, Eucharistiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, requiritur per se loquendo status gratiæ; *Communio* ista. Si quis enim in mortali peccato scilicet existens velit aliquod vivorum sacramentum suscipere, tenetur prius vel per contritionem perfectam, vel per attritionem una cum Sacramento Penitentia se in statum gratiæ restituere; aliis si in peccato mortali scilicet existens cum sola attritione cognita aliquod vivorum sacramentum recipiat, non solum infructuose, seu sine gratia sanctificante illud recipit, sed potius de novo gravissime, & sacrilege peccat.  
 Immo ad digne & fructuose recipiendum sacramentum Eucharistia requiritur, ut scienter existens in peccato mortali præmittat de ipso sacramentalem confessionem, nec sufficit contritio. *Communio* ista per text. Apost. *1. ad Corinth. cap. 11. n. 28.* ibi: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non iudicans Corpus Domini.* Et per textum Concil. Tridentini. *sess. 13. cap. 7.* ibi: "Quære communicare volenti revocandum est in memoriam ejus, scilicet Apostoli, præceptum: Probet se ipsum homo; ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacramentum Eucharistiam accedere debeat, quod à christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Et ibidem Can. 11. sic expresse habet: Et ne tantum sacramentum indignè, atque inædo in mortem, & condemnationem sumatur, statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem: Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumperit, eo ipso excommunicatus existat."  
 Sublata, seu recedente fictione, id est, indignitate, vel indispositione suscipientis, reviviscit Baptismus fide, id est, cum obice peccati mortalis susceptus: Unde effectus gratiæ sanctificantis, qui propter obicem peccati mortalis, seu indispositionem adultus suscipientis, tempore suscepti Baptismi impeditus fuit, remoto tali obice per veram Penitentiam statim conferuntur. *Communio* cum S. Thom. *quæst. 69. art. 10.* ubi sic habet: *Oportet, quod remota ea per Penitentiam, nempe fictione, Baptismus statim consequatur suum effectum.* Cui con-

conformis est Scotus in *4. quest. 5. num. 4.* ubi sic expresse ait: *Potest dici, quod illa fictio non dimititur nisi per veram Penitentiam; sed ea dimissa, habet Baptismus effectum suum.* Et ibidem num. 8. loquens de eo, qui accedit cum fictione, subjungit: *Recipit ergo effectum Baptismi, quando penitet.* Unde immerito, & falso in contrarium eum citat Gonet *disput. 4. de Baptismo art. 2.* Et conclusio habetur tota ex verbis S. Augustini *lib. 1. de Baptismo cap. 12. rel. in cap. Tum valere 4. dist. 4. de consec. ibi: Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci confessione receserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Et ratio est, quia Baptismus semel valide susceptus ob impressum characterem est interabilis ex Concil. Florent. *sess. ult. in Decret. Eugenii IV. & Conc. Trid. sess. 7. Canon. 9. cit. art. antec. num. 9.* & ejus effectus, scilicet regeneratio spiritualis, est simpliciter necessarius ad salutem, Joann. *cap. 3. num. 1.* ibi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et peccata ante Baptismum commissa per nullum aliud sacramentum remitti possunt, sed per ipsum solum Baptismum in re, vel in voto, ut patet ex dictis sub *verb. Peccatum num. 36.* ergo necesse est, ut Baptismus semel valide receptus sine effectu ratione obicis, recedente postea obice, operetur suum effectum, quem antea operari nequit.  
 Etiam alia duo sacramenta imprimuntia characterem, scilicet *Confirmatio*, & *Ordo* si fide, seu indispositione cum obice peccati mortalis recepta sint, recedente postea per veram penitentiam fictione, seu obice peccati mortalis, reviviscunt, seu conferunt suum proprium effectum gratiæ sacramentalis. Sic expresse S. Thom. in *4. dist. 4. quest. 3. art. 2. S. Bonavent. dist. 1. part. 1. artic. 13.* quibus consonat Scotus in *4. dist. 1. quest. 5. num. 7.* his verbis: "In quibuscumque sacramentis imprimitur dispositio ad effectum principalem; si propter obicem in suscipiente non causatur tunc effectus principalis, cessante obice, sufficit dispositio ad illum effectum principalem, ut appareat in sacramentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non sunt iterabilia." Et sic communio Doctorum: Et ratio est, quia etiam ista duo sacramenta sunt simpliciter interabilia, & habent effectum suum sibi proprium, scilicet, *Confirmatio* gratiam in Fide Christi roborantem, *Ordo* gratiam ad digne, & sanctè adimplenda ministeria sacra cuiuslibet Ordini annexa, qui effectus ab aliis sacramentis conferri nequeunt; adeoque hæc duo quoque sacramenta semel valide suscepta sine effectu ratione obicis, postea amoto obice effectum suum causare, seu conferre debent, ne recipiens teneatur careere effectu ipsorum in perpetuum.  
 Etiam Extrema Unctio, & Matrimonium probabiliter reviviscunt recedente fictione. Sic S. Thomas *loc. cit. & dist. 17. quest. 3. art. 4.* cum dixisset, confessionem reviviscere sublata fictione, addit, idem esse in aliis sacramentis; & colligitur ex *Scoto loc. cit.* & tenet communio Doctorum: Et ratio est, quia cum etiam hæc duo sacramenta secundum quid sint irreiterabilia, nempe durante eadem infirmitate, & durante vita utriusque conjugis, & habeant effectus aliquos speciales sibi proprios, scilicet *Extrema Unctio* gratiam delentem peccatorum reliquias, & in extremo conflictu roborantem; *Matrimonium* gratiam mutæ concordie conjugum conciliativam, & ad ferendam oritur matrimonii auxiliativam, nec hi effectus per alia sacramenta conferantur; hinc congruum est etiam hæc duo sacramenta valide suscepta sine fructu; postea amoto obice, reviviscere, & dictos suos peculiare effectus causare; dummodo obex removeatur intra tempus ejusdem morbi, vel conjugii, ut tenent Suarez, Lugo, Coninch, Castropal. cum La Croix *lib. 6. part. 1. num. 302.* & plurimi alii.  
 Penitentia autem non reviviscit recedente fictione, seu obice. Sic Scotus in *4. dist. 1. quest. 2. S. Contra istam opinionem, ubi sic expresse habet: "In fide po-*

nitente cessante fictione nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ penitentia, alioquin non oporteret talem fidei confessum de eisdem peccatis aliis confiteri."  
 Scotum sequuntur passim Scotista, & varii alii externi contra Divum Thomam, & alios: Et sic videtur tenere praxis fere universalis Confessoriorum, qui omnes solent exigere à penitentibus confessionum fide factarum repetitionem, vel eo maxime quod non datur sacramentum Penitentia validum, & informe, ut jam probavimus sub *verb. Penitentia Sacramentum, art. 2. à num. 16. ad 29. Vide ibi.*  
 Eucharistia verò probabiliter reviviscit recedente obice, si obex removeatur, antequam consumpta sint species: secus tamen, si obex removeatur solum, postquam jam totaliter consumpta sunt species, & Christus jam desit esse præsens. Sic communio Doctorum cum Aversa *de Eucharistia, quest. 7. sect. 1.* Suarez *d. 63. sect. 8.* La Croix *lib. 6. p. 1. num. 250.* Et ratio primæ partis est, quia cum in tali casu subiectum jam sit dispositum ad gratiam, & cum Sacramento permanente adsit Auctor omnis gratiæ, dicendum est, quod tunc causet gratiam. Ratio autem secundæ partis est, quia, si Eucharistia revivisceret, quando obex removeatur solum postquam sunt consumptæ totaliter species, & Christus jam desit esse præsens, sequeretur, quod Sacerdos, qui toto tempore vitæ suæ quotidie communicasset sacrilege, si in fine vitæ penitenter, acciperet ex opere operato, vi tot Communionum sacrilegarum plus gratiæ, quam Sacerdos, qui quotidie semper digne communicasset, quod nemo dixerit.  
 Sacramenta non causant gratiam physicæ, sed moraliter, id est, sacramenta non producant gratiam ut cause physicæ, sed ut cause morales, quatenus efficaciter movent Deum ad promovendam gratiam, quam significant, & quam ipsemet Deus statuit dare infallibiliter, quotiescumque rite confiteretur, & digne sumeretur. Sic Scotus in *4. dist. 1. quest. 4. & 5.* cum omnibus suis Scotistis, S. Bonaventura, Richardus, Alensis, Aureolus, Vasquez, & plurimi alii contra Thomistas, & alios: Et ratio est, quia modus operandi sequitur modum essendi: Sacramenta autem ut sacramenta sunt quid morale, cum dependant solum ex institutione Christi, à qua, & à meritis ejusdem Christi Domini totam suam vim atque efficaciam causandi habent, adeoque & illorum modus operandi erit moralis, & non physicus; tum quia ex Divo Thoma *1. p. q. 45. art. 5.* creatura non potest creare, neque principaliter, neque instrumentaliter, saltem physicæ, quia creare est potentia infinitæ; sacramenta autem sunt creaturæ, adeoque non possunt producere gratiam ut cause physicæ, quoniam gratia habet esse per creationem; tum etiam quia nulla causa producit physicæ effectum, nisi physicæ actu existat: Sacramenta autem conferunt gratiam aliquando pro eo tempore, quo non amplius existunt cum ut diximus *suprà num. 17.* ex S. Thoma, S. August. Scoto, & communi aliorum, Baptismus fide, seu cum obice receptus non causat gratiam pro tempore, quo cum tali obice peccati mortalis recipitur, sed solum pro tempore, quo per veram penitentiam removeatur talis obex, & sic si quis hodie cum obice reciperet Baptismum, & cras obicem remove- ret, reciperet cras gratiam virtute Baptismi hodie suscepti; quod cum non possit competere causis physicis, dicendum est Sacramenta esse tantum causas morales, adeoque &c.  
 Character sacramentalis, qui ut diximus *suprà n. 4.* est effectus particularis aliorum sacramentorum proprius, imprimitur solum in tribus sacramentis, scilicet *Baptismo, Confirmatione, & Ordine. Communis inter Catholicos, ex Concilio Florentino. sess. ult. in decreto Eugenii IV. & Concilio Trident. sess. 7. Canon. 9.* per textum *loc. cit.* adductos.  
 Cur autem sola dicta tria sacramenta, & non alia quatuor imprimant characterem? Ratio à priori non est nisi voluntas Christi Domini ita institutis, quæ nobis sufficienter constat ex perpetua traditione, & aut



auctoritate Ecclesiae: Ratio autem congruentiae desumitur ex Scoto in 4. dist. 6. quæst. 10. quia sicut in politica civiles tres tantum sunt gradus determinati, & species: Primus scilicet dum admittitur quis in familiam Principis: Secundus, cum constituitur miles ad defendendam rempublicam: Tertius, dum constituitur officialis Principis; ita tres solum gradus determinati, & speciales, adeoque dignitatem, aut characterem impimentes, reperiuntur in politica ecclesiastica. Primus scilicet dum quis recipitur in familiam Christi, quod fit in Baptismo: Secundus, dum fit Christi miles ad defensionem fidei christianæ, quod fit in Confirmatione: Tertius, dum constituitur Dux, aut unus ex Magistratu familie Christi, & Dispensator mysteriorum Dei, quod fit in Ordine.

35 Character est signum spirituale indelebile anime impressum in susceptione sacramenti initerabilis, significans potentiam quandam spirituales eo sacramento acquiritam. Est in re communis, & desumitur ex Concilio Florentino sess. ultim. in decreto Eugen. IV. & Concil. Tridentin. sess. 7. Canon. 9.

36 Character non est pura relatio rationis, aut denominationis extrinseca. Communis ex Concilio Florentino loc. cit. ubi character vocatur spirituale quoddam signum, & ceteris distinctivum impressum in anima, indelebile, & ex Concil. Trid. loc. cit. ubi character appellatur signum spirituale, & indelebile impressum in anima.

37 Character neque est relatio realis, sed entitas absoluta. Sic tenent communis Doctores, & signanter celeberrimos Schotista, ut Bassolius, Mayronius, Rubionius, Vorrillon, Nicolaus de Orbellis, Cavellus, Aretinus, Hyguæus, Pontius, Mastrius, Frassen, Coen, Dupasquier, & alii plures: Nec contrarium docuit Scotus, ut falso aliqui prætendunt, cum ipse in 4. dist. 6. quæst. 10. numer. 16. resolvat, characterem esse aliquid reale; sed an relativum sit, vel absolutum? nihil determinat, cum utrumque problematice defendat, & sic plenam suis relinquat opinandi libertatem, ut patet ex sequentibus suis præcisus verbis: *utrumque salvari potest, quod sit scilicet forma respectiva, sicut jam ostensum est, vel quod sit forma realis absoluta.*

38 Character sacramentalis non subiectatur in anima sub ratione formali anime, Communis cum S. Thoma quæst. 69. art. 4. & Scoto in 4. dist. 6. quæst. 11. n. 3. & 4. Character igitur subiectatur in anima sub ratione formali voluntatis: Sic Scotus loc. cit. cum omnibus suis contra Thomistas, qui dicunt subiectari in intellectu: Ratio autem nostra est, quia in ea potentia poni debet signum obligationis, in qua ponitur obligatio; obligatio autem anime ad Christum, quæ contrahitur per Baptismum &c. ponitur in voluntate, & non in intellectu, cum intellectus utpote potentia necessaria, & ad unum determinata, non sit capax præcepti, vel obligationis, adeoque &c. Tum quia character debet poni in illa potentia, quæ omnes alias potentias movet, & dirigit ad actiones, ad quas conferuntur Sacramenta: Hoc autem competit voluntati instar Reginæ omnibus potentis imperanti, adeoque &c.

40 Character sacramentalis de potentia Dei ordinaria est indelebilis, tum in hac, tum in altera vita; Communis. Et ratio est, quia aliquo in Conciliis Florentino, & Tridentino loc. cit. non posset dici absolute esse signum indelebile. Potest tamen deleri de potentia Dei absoluta, tam in hac, quam in altera vita. Communis. Unde Scotus in 4. dist. 6. quæst. 9. numer. 10. sic expresse habet: *Nulla forma potest esse in anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere, quia in hoc nulla inveniri potest contraditio.*

42 \* Sacramenta denegari nequeunt mulieribus menstruatis. Benedic. tom. 1. constit. 107. incip. Omnium sollicitudinum, §. 3. 14. 39. Sacramentorum participatio denegatur occultantibus fidei christianæ professionem cum simulatione mahometismi. Idem constit. 89. incip. Inter omniagenas, §. 6. Item mulieribus christianis in Turcarum contuberniis viventibus absque Religionis exercitio. Idem ibid. §. 7. Item mulieribus nul-

liter nuptis cum infidelibus, donec in concubinato permanserint: Idem ibid. §. 13. Item his, qui uxore ad Turcas confugiente, aliam ducere præsumpsierint. Idem ibid. §. 12.

Sacramenta administrantes, etiam in ecclesiis Regularium, subsunt visitationi, & correctioni Episcopi, in his, quæ spectant ad ipsam administrationem. Idem constit. 109. incip. Firmendis, §. 2. Amplia, etiamsi ipsi non sint Parochi. Idem ibid. §. 3.

Sacramentorum simulatio licita non est, etiam ad evitandum mortis periculum. Idem tom. 2. const. 18. incip. Postremo mense, §. 20. & 21.

SS. Sacramentum Eucharistie publicæ fidelium venerationi exponendum non est sine licentia Episcopi, seu Ordinarii loci. Idem constit. 5. incip. Accepimus.

Sacramentorum materiam, & formam adhibere circa subiectum capax, absque intentione conficiendi sacramentum, est omnino illicitum. Idem constit. incip. Ex quo primum, §. 56. Sacramentum, si partes subiecti sejunctæ sint, valide, & licite conferri potest à pluribus Ministris, materiam, & formam seorsim, & diversis partibus applicandis. Idem in dist. Appendice, constit. incip. Peracta §. 15. ubi asserit, quod legitima concurrente causa, ut instans periculum vite infirmi, etsi Ritualia obstant, nedum valide, sed etiam licite hodie in Ecclesia Occidentali Sacramentum Extreme Unctionis administratur à pluribus Sacerdotibus, quorum unus unum organum sensus inungat, & feratque formam, alique idem præstent super alius sensuum organis. Vide ad id jam tradita à nobis in tomo tertio, verb. Extrema Unctio à num. 29. ad 33.\*

¶ Et Philosophia etiam peripatetica desumpta sunt quæ scholastici disputant de effectibus sacramentorum, tum & maxime de eo, quomodo, & quando Sacramenta producant gratiam. Confer Vanespen Jur. eccles. univers. part. 2. tit. 1. cap. 1. §. 6.

Inter effectus sacramentorum recensetur & character, isque effectus tribus tantum sacramentis tribuitur, Baptismo, Confirmationi, & Ordini; Concilium Trident. sess. 7. de Sacrament. in gener. can. 9.

In quo verò consistat characteris essentia, non conveniunt inter se Theologi, & Canonistæ. Dixit utique Concilium Tridentinum loco mox citato imprimi per dicta tria sacramenta characterem in anima, hoc est signum spirituale, & indelebile. Sed quid sit signum hoc, magna est dissensio. Verisimilius est. (ait Vanespen ubi supra §. 11.) aliud dicere nolluisse synodum, ratio quod per hæc sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quale solet imprimi dum quis ad dignitatem, aut ad conditionem aliquam stabilem, & permanentem assumitur, ut exempli gr. ad dignitatem, doctoralem, regulam, &c. In horum enim adoptione, & collatione accedit ipsi accipienti huiusmodi dignitatem, vel conditionem, quoddam ens morale, ratione cuius perpetuo reputatur Rex, Doctor &c.

At si dicendum quod res est, nec ipse Vanespen satis explicat quid sit signum hoc spirituale, & indelebile. Retineamus autem eum, qui ex characteris fuit, effectum, quod scilicet tria hæc Sacramenta non sint reiterabilia, & non curemus de explicatione mox dicti signi spiritualis, & indelebilis.

Ceterum tametsi dicta tria sacramenta haud reiterentur, tamen si rationaliter de eorum valida collatione dubitetur, reiterari possunt. Et quod notandum est, antiquitas sine ulla conditionis expressione reiterabantur, ut Vanespen eodem loco §. 15. monstrat ex Canon. 1. Concilii Carthaginens. V. Invaluit verò postmodum, ut reiterarentur sub expressa conditione si suscepta non sint. Sed necitur quo tempore reiterari dict. tria Sacramenta ceperit sub dicta conditione. Haud improbabile verò est, ea ita reiterari cepisse ex quo responsum Alexandri III. de quo in cap. de Baptismo Decretalibus Gregorii IX. insertum fuit. In eo enim habetur: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: Si baptizati es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.*

66 Recte vere monet Rituale Romanum sub titulo de forma Baptismi. Hæc tamen conditioni forma non parum, aut leviter ut licet, sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infanem non fuisse baptizatum.

SACRA SCRIPTURA. Vide infra Scriptura Sacra.

SACRIFICIUM.

SUMMARIUM.

1 SACRIFICIUM in genere & in specie quatuorplex: plurime ejus sunt divisiones, ad n. 16.

17 Missæ sacrificium penes diversos fines, & fructus dividitur: unde dicitur, & missa: à quo, & in quo tempore institutum: quid in eo contineatur, & que ejus solemnitates: quando ab Apostolis fieri cepit, ad num. 31.

32 Missa olim in duas partes, quales, & quomodo: quid vere sit missa: principalis, (& minor) offerens quis: quid in ea offeratur, ad numer. 38.

39 Actiones variæ que in missæ sacrificio interveniunt partes principales signantur: an omnes actiones sint de essentia sacrificii missæ, proponitur: quid de consecratione utriusque speciei: quomodo à crucis, & ultime Comæ sacrificio, à sacramento Eucharistie sacrificio missæ differat, ad n. 58.

59 Ratione finis perfectius est sacrificium, quàm sacramentum: generaliter loquendo differunt sacramenta & sacrificia, ad num. 60.

61 Alia ad rem, remissive.

1 SACRIFICIUM in genere sumitur dupliciter, scilicet late, seu improprie, & stricte, seu proprie; Communis. Sacrificium late, seu improprie sumptum, est quodlibet opus bonum in Dei honorem, & cultum relatum; sunt Oraciones, Laudes, Adorationes, ceterique actus virtutum præsertim Religionis. Et in hoc sensu sacrificium complectitur Justitiam, juxta illud Psalm. 4. num. 2. sacrificie sacrificium justitiae. Item interdum animi dolorem propter Dei offensam, juxta illud Psalm. 50. num. 9. sacrificium Deo spiritus contrivulatus. Item externam laudem in Deum relatum, juxta illud Psalm. 46. numer. 34. sacrificium laudis honorificabit me. In simili sensu loquitur Paulus ad Hebræos cap. 13. num. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum laborum conscientium nominis ejus. Sacrificium stricte, seu proprie sumptum, est peculiaris actus virtutis Religionis, quo speciali quodam modo recognoscimus summam Dei excellentiam, supremamque ejus dominium, & nostram ad ipsum subjectionem per oblationem, & destructionem alicujus rei sensibilis. Et sacrificium hoc modo sumptum, de quo hoc hic est sermo, sic definitur: *Sacrificium stricte, seu proprie sumptum, est oblatio externa rei sensibilis legitime instituta & à Ministro legitime facta soli Deo per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem in recognitionem nostre totalis ad ipsum subjectionis supremæ ipsius in nos, & res omnes dominii. Est in re Comm.*

5 Dicitur primo oblatio externa rei sensibilis, quia sacrificium est cultus Dei exterior protestativus supremi ejus dominii etiam coram hominibus, qui non nisi sensibilibus communicant inter se.

6 Dicitur secundo legitime instituta, quia cum sacrificium sit signum publicum protestativum supremi Dei dominii, & specialis Dei cultus nomine totius communitatis Deo exhibendus, & signa communia, & cultus publici per publicam, & legitimam auctoritatem institui debeant, ideo & ipsum sacrificium debet esse institutum publica, & legitima auctoritate & per hoc

sacrificium differt à martyrio, quod non est publica auctoritate institutum.

Dicitur tertio & à Ministro legitime, quia cum sacrificium sit specialis Dei cultus, nomine totius communitatis ei exhibendus, requiritur, quod ad hoc sit aliquis specialiter deputatus tamquam legitimus Minister: Unde non solum in lege Evangelica sunt ad id deputati speciales Ministri, nempe Sacerdotes, ex cap. Firmiter credimus 1. de summa Trin. & Fide Catholica, & Concil. Trident. sess. 23. cap. & canon. 1. sed etiam in lege scripta sacrificia offerrebantur à Ministris ad hoc specialiter deputatis, ut patet num. 3. & qui sine tali deputatione sacrificia offerre tentarunt, divinitus sunt puniti, ut patet de Saule 1. Reg. 13. & Ozia 2. Paral. 26. Et etiam in lege nature fuisse aliquos specialiter deputatos, colligitur ex Genesi 14. ubi Melchisedech dicitur obtulisse panem, & vinum, & ratio additur: *Erant enim Sacerdos Dei Summi.* Et tales Sacerdotes pro tunc secundum communem opinionem erant Principes familiarum, & Filii Primogeniti, & aliqui alii, qui ex inspiratione divina sacrificia obtulerunt, ut de Abel legitur Gen. 4.

Dicitur quarto facta soli Deo, quia cum sacrificium sit actus virtutis Religionis, & quidem supremæ ejus speciei, quæ dicitur latría, ideo soli Deo offerri potest. Unde quamvis celebrentur missæ in honorem Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, non tamen illis sacrificium offerri potest, ut docet Concilium Trid. sess. 12. cap. 3. ibi: *Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illi sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo, & de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

Dicitur quinto per destructionem, vel notabilem ipsius rei oblatæ immutationem, quia ad rationem sacrificii proprie dicti requiritur, vel quod res oblatæ physice destruat, vel saltem moraliter notabiliter immutetur, ita ut res oblatæ accipiat alium statum, & reddatur omnino inutilis ad proprios usus, seu functiones naturales; sic olim ab Hebræis oves verissime sacrificabantur, quando realiter percussæ destruebantur; & in libaminibus vinum, & oleum vere ab ipsis sacrificabatur, quando effundebatur in terram circa altare Domini; nam tunc ponebatur in statu corruptionis, & notabilis immutationis, & licet non statim substantialiter corrumperetur, donec siccaretur, tamen acquirere statum inutilem ad suum usum naturalem, & humanum.

Dicitur sexto, & ultimo in recognitionem nostre totalis ad ipsum subjectionis, supremique ipsius in nos, & res omnes dominii, quia ideo per sacrificium res sensibilis destruitur, vel notabiliter immutatur, ut contestetur nostram totalem ad Deum subjectionem, & supremam ipsius potestatem super nos, & res omnes, plenamque ipsius dominium vite, & mortis, ita ut tam facile possit nos, & omnia immutare, vel destruere, quàm facile nos rem aliquam nostram immutamus, & destruimus.

Sacrificium varie dividitur: Primo ratione materie dividitur in victimam, seu hostiam, in immolationem, & in libamen. Victimam seu hostiam dicebatur sacrificium, quo in veteri lege Deo offerrebantur animalia, sive fuissent quadrupedia, sive volatilia, & inter volatilia præcipue offerrebantur columbæ, turtures, & passerres; inter quadrupedia vero boves, oves, & capræ. Immolatio dicebatur sacrificium, quo Deo offerrebantur res inanimæ, sed solide, ut fruges terræ, panes, thura, & hujusmodi. Libamen dicebatur sacrificium, quo Deo offerrebantur res inanimæ, sed liquidæ, ut vinum, oleum, sanguis, & hujusmodi.

Secundo ratione formæ, seu modi, quo fiebat, dividitur in holocaustum, hostiam pacificam, & hostiam pro peccato. Holocaustum dicebatur sacrificium, in quo tota res oblatæ destruebatur, seu comburebatur, & in